Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



28
31

Si uere utiq; iustitiam loquimini recte iudicate filii hominum Etenim in corde iniquitates operamini in terra iniustitias manus uestre conmiscent Alienati sunt peccatores a uulua erraunt a uentre locuti sunt fallacia Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surde et obdurantis aures suas Que non exaudiet uocem incantantium: et uenefici incantantis sapienter Deus contet dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet dominus Adnihilum deuenient tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur Sicut cera que fluit auferentur: supercecidit ignis et non uiderunt solem Priusquam intelligerent spine uestre rhamnum sicut uiuentes sic mera absorbeat eos Letabitur iustus cum uiderit ultionem: manus suas lauabit in sanguine peccatoris Et dicet homo si utique est fructus iusto: utique est deus iudicans eos in terra Psalmus

Eripe me domine de hominibus malis de uiris iniquis eripe me: qui cogitauerunt malitias in corde tuo tota die constituebant bellum Acuerunt linguas suas sicut serpentis: uenenum aspidum sub labiis eorum: quam ob rem custodi me domine de manibus peccatoris et a uiris iniquis eripe me: qui cogitauerunt supplantare gressus meos Absconderunt superbi laqueum mihi et funes extenderunt in laqueum: iuxta semitam scandalum posuerunt mihi Dixi domino deus meus es tu: exaudi domine uocem deprecationis meae Domine domine uirtus salutis meae: obumbrasti super caput meum Ne tradas domine desiderium meum peccatori: cogitauerunt contra me ne derelinquas me ne quando exaltentur Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos Cadent super eos carbones in ignem deiicies eos in miserias non subsistent Uir linguosus non dirigetur in terra Cognoscit dominus iudicium egeni et uindictam pauperum Uerumtamen iusti confitebuntur nomini tuo et habitabunt rectos cum uultu tuo Domine clamauit ad te ne tardaueris Exaudi uocem meam dum clamo ad te Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Elevatio manuum mearum sacrificium uespertinum Pone domine custodiam ore meo et ostium circumstantiae labiis meis Non declinet cor meum in uerba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem Et non communicabo cum electis eorum Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me oleum autem peccatoris non impinguet caput meum Quoniam adhuc et oratio mea contra beneplacita eorum Absorpti sunt iudices eorum iuncti petrae Audient uerba mea quoniam potuerunt Sicut crassitudo terrae erupta super terram Dissipata sunt ossa nostra secus infernum Quia ad te domine domine oculi mei Ne auferas animam meam cum impiis et a uiris sanguinum Quorum in manibus iniquitates: dextera eorum repleta est muneribus Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mihi Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te domine